



Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Krone

in dem Schuljahre 1874—1875,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 30. Juli

und

zu den Schlussfeierlichkeiten am 31. Juli

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Professor A. Lowinski,


Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE.

Nro. XX.

Inhalt: 1) De Pisistrati cura Homericæ. Vom Gymnasiallehrer Anton Sioda.
2) Schulsachrichten. Vom Director.

Deutsch-Krone,
Druck von F. Garm's.
1875.



De Pisistrati cura HomERICA.

Pars prior.

Postquam Ilias et scholia ex codice praestantissimo Veneto A. a Villoisono Venetiis a. 1788 edita sunt, plures in dies lique doctissimi viri in studiis Homericis maiore industria ac diligentia versari coeperunt. Etenim nova quaedam lux poesi Homericæ nobili illa editione allata est. Quoniam igitur longe alia atque antea adhibenda erat via ac ratio in Homeri carminibus emendandis F. A. Wolfius, qui iam ab ineunte ætate his studiis miro quodam amore atque ardore deditus erat, ad ea carmina accuratius recognoscenda accessit. Cum autem Iliade Odysseaque a. 1794 editis id ageret, ut rationem suam criticam opinionemque de vetustissima Graecorum poesi commendaret, factum est ut ea quam praemittere voluit praefatio „sensim in libri speciem cresceret.“¹⁾

Itaque peculiarem librum „de fontibus correctionum et cuiusque fontis auctoritate deque omni critica historia Homericæ corporis“ scribere constituit, quem inscripto titulo: „Prolegomena ad Homerum“ a. 1795 Halis Saxonum emisit. Quo ille libro vulgatam opinionem, carmina HomERICA ab uno eodemque poeta esse composita, non solum vehementissime labefactavit, sed paene funditus sustulit.

Nihilo setius neque Wolfius neque ullus eius sectator multis ex illo tempore annis, quibusnam ex carminibus singularibus Ilias nostra vel Odyssea esset composita, demonstrandum susceperunt. Wolfius quidem ipse a tali conatu multo longius a fuit, quam vulgo creditur et iure quis ex Prolegomenis²⁾ colligere possit.³⁾ Id tantum quaerere sibi proposuit, utrum Iliadis et Odysseae compositio ac perfectio Homero, primo illi ac praestantissimo Troicarum fabularum poetae, an iis

¹⁾ Praef. ad Iliadem p. 8.

²⁾ p. 38, 142, 146.

³⁾ Maximi momenti hac in re sunt epistolae eius ad Heynium datae, (Briefe an Heyne Berlin. 1797) quarum prima inter alia (p. 22) haec memoranda verba exhibet: Man hat hie und da in das buch (int. Proleg.) hineingelesen, ich suchte zur composition der Homerischen gesänge einen einzelnen mann, einen der uns Ilias und Odyssee aus zertrenten bruchstücken geschaffen hätte: ich schiene dazu den Lycurg, den Solon etc. ausgreifen zu wollen. Dies verstehe ich nicht recht, wenigstens nicht, wodurch ich diese abenteuerliche, schon längst verlachte meinung könnte veranlasst haben.

qui haec carmina collegissent et disposuissent potissimum deberetur.¹⁾ Altera autem Prolegomenon parte de critica tantum ratione in carminibus Homericis adhibenda tractare certisque argumentis, nos ultra Alexandrinorum recensionem progredi non posse, demonstrare voluit,²⁾ id quod praefatione a. 1804 conscripta et editioni Iliadis anni 1817 praefixa maxima ex parte praestitit.

At quod Wolfius omisit alter criticus cum doctrina tum sagacissimo ingenio ei par executus est. Carolus Lachmannum dico, qui cum poema quod est de Nibelungis in viginti carmina divisisset, eodem iudicio ad Iliadem accessit eamque in duo de viginti dissolvit carmina. Duae eius disputationes hac de re in academia regia Berolinensi a. 1837 et 1841 lectae, paucis a Mauricio Hauptio additis, a. 1847 Berolini prolatae sunt. Ita quaestio Homerica quae vocatur existit „et adhuc sub iudice lis est.“³⁾ Lachmanni libellus simulatque editus est omnium ora in se convertit. Principio quidem viri doctissimi opiniones multo plures invenerunt adversarios ac reprehensores quam amicos ac patronos. Illi vero aequae ac critici eius a Weissio⁴⁾ usque ad Gerlachium⁵⁾ plerumque nonnullas vituperationes et dubitationes refutare satis habuerunt non quaerentes, quibusnam fundamentis totum illud iudicium fulciretur.

Lachmannus autem ab eo in quo Wolfius substitit quaestionem suam incepit, nulla ratione eorum habita, quae hic ipse concessit quaeque ad opiniones eius infirmandas protulerunt alii. Etenim in iis quae de Pisistrati opere narrentur illud nobis propositum esse affirmat, quod ipse aliqua ex parte demonstrare conatus esset. Haec carmina ante Pisistratum scripta non fuisse aequae ac Wolfius existimat,⁶⁾ quin etiam ridiculus sibi videtur, si Iliadem nostram ante tyranni huius opus unquam quem nunc habeat ordinem tenuisse concedat.

Attamen iam ante Lachmannum haec de Pisistrati cura Homerica quaestio a nonnullis viris doctis, veluti a Payne-Knigthio⁷⁾ Nitzschio⁸⁾ Welckero,⁹⁾ inter priorem denique alteramque Lachmanni disputationem a Ritschelio¹⁰⁾ varie est tractata. Editis vero Lachmanni disputationibus longe aliter erat tractanda. Itaque Grotius¹¹⁾ eiusque sectator et vindex acerrimus Friedlaender,¹²⁾ qui et ipsi novae de poesi Homerica opinionis sunt auctores, maiore cum diligentia ad eam accesserunt, quorum argumenta nonnullis aliis Lehrsio¹³⁾ in disputatione de quibusdam

¹⁾ Briefe p. 22 sq. Prolog. p. 123, 135.

²⁾ Briefe p. 59 sq.

³⁾ Liceat hic duas sententias maxime contrarias proponere nuper prolatas. H. K. Benken enim (N. Jahrb. 105 p. 669) dicit: „Lachmanns ergebnisse auf dem Gebiete der Homerischen kritik stehen . . . so fest, wie es nur immer feststehen kann, dass zwei mal zwei vier ist.“ Bergk (Griech. Literaturg. Berlin 1872 p. 522) autem: „Die theorie der neuen chorizonten . . . wird doch auf die länge sich nicht zu behaupten vermögen.“

⁴⁾ Blätter für liter. Unterhaltung 1844 p. 501—516.

⁵⁾ Philol. vol. 30 p. 1 sqq.

⁶⁾ cf. p. 31, 76.

⁷⁾ Prolegomena ad Homerum ed. Ruhkopf. Lipsiae 1816 p. 3, 29.

⁸⁾ Quaestiones Homericae. Hannoverae 1824 p. 26 sqq. et „De historia Homeri Meletemata“ ibidem 1830 et 1837 I p. 23 sqq. 159 zqq. II p. 133 sqq.

⁹⁾ Der epische Cyklus, Bonn 1835 I. p. 379 sqq.

¹⁰⁾ Die Alexandrinischen Bibliotheken. Breslau 1830 p. 12 sqq.

¹¹⁾ Geschichte Griechenlands übersetzt von Meiszner. Leipzig 1850 I p. 509 sqq.

¹²⁾ Die Homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin 1853 p. 9 sqq.

¹³⁾ Rh. Mus. v. 17 p. 481—507.

interpolationibus Homericis scripta auxit. Anno deinde 1863 Nutzhornius librum danice scriptum, quo omnes carmina HomERICA divellendi conatus improbare sibi proposuit, edidit¹⁾ cuius libri parte priore de testimoniis historicis satis accurate disserit. Nuperrime denique Volkmannius²⁾ peculiari libro, quid recte statuerit Wolfius in Prolegomenis quid minus recte copiosissime enarravit. Sed uterque et Nutzhornius et Volkmannius praetermisere quae Lachmanniani, praecipue W. Ribbeckius³⁾ et Jacobus,⁴⁾ contra Grotium Friedlaenderumque disputaverunt.

Duae igitur in quaestione HomERICA quaerenda sunt res: prior, quibusnam testimoniis historicis Wolfii Lachmannique ratio nitatur, altera num indicis quae in carminibus ipsis insint eos sequi cogamur.

De priore huius quaestionis parte accuratius agere nobis proposuimus, non ut hanc rem in qua multi viri acutissimi versati sunt conficiamus, sed pauca quae ad rem diiudicandam pertineant afferre satis habebimus.

Testimonia gravissimorum auctorum, qui quidem aperte de Pisistrati cura HomERICA loquuntur, in Wolfii Prolegomenis⁵⁾ et accuratius in Sengebuschii dissertatione HomERICA posteriore⁶⁾ collecta, haec sunt: Cicero de Orat. III, 34. — Pausanias VII, 26. — Josephus c. Apionem I, 2. — Aelianus v. h. XIII, 14. — Libanius: Panegy. in Julian. I p. 170 ed. Reiske. — Suidas s. v. "Ομηρος. — Vita Homeri IV et V ed. Westermann. — Eustathius A. p. 5 K. ante v. 1. p. 785. — Scholion V. K. ante v. 1. — Tzetzae Schol. Plaut. (ed. Ritsehl in libro quem scripsit de bibliothecis Alex. p. 4). — Eiusdem Proleg. Schol. in Aristoph. (ed. H. Keil. Rh. Mus. VI p. 108 sqq. et 243 sqq.). — Eiusdem: Exegesis in Iliadem (cf. Bachmann: Schol. Lipsiens. ad Iliadem p. 749, 767, 772, 827). — Anonymus *περὶ κομωδίας* (ed. Cramer in Anecd. Paris. vol. I p. 3 sqq.) Schol. in grammat. Dionysii Thracis (Anecdota Gr. ed. Villoison. II p. 182).

His igitur testimoniis historicis nisus et variis discrepantiis adductus, quae praecipue in Iliade inveniuntur haud paucae, aliisque gravibus argumentis Wolfius novam quandam de Iliade et Odyssea proposuit opinionem eamque gravissimam: neque ab uno poeta haec carmina condita esse neque ab initio litteris mandata. Sed cum variis et temporibus et locis a diversis composita essent poetis nonnulla per saecula in iustis Homeridarum rhapsodorumque scholis memoria tantum servata et tradita esse neque unquam uno tenore cantata sed membratim. Pisistratum demum, Atheniensium tyrannum, cum iam paulo ante eum Solon rhapsodos carmina HomERICA iusto ordine pronuntiare iussisset, et ab Hipparcho filio et a nonnullis aliis viris doctis adiutum, dissipatas partes litteris consignandas et in eum redigendas curavisse ordinem quo nunc habemus. Atque ne tum quidem varie corrumpi et vitiari desiisse, donec Aristarchus, grammaticorum Alexandrinorum facile princeps, cum Iliadem Odysseamque eximia diligentia adhibita atque doctrina edidisset, om-

¹⁾ Hunc librum, cui titulus germanicus est: Die Entstehungsweise der Homerischen Gedichte, post praematuram auctoris mortem amicus quidam in linguam germanicam optime transtulit et praefatione a Madvigio praemissa a. 1869 Lipsiae edidit.

²⁾ Geschichte und Kritik der Wolf'schen Prolegomena zu Homer. Leipzig 1874.

³⁾ Philol. vol. 8 p. 461 sqq.

⁴⁾ Ueber die Entstehung der Ilias und der Odyssee. Berlin 1856.

⁵⁾ p. 143 sqq.

⁶⁾ p. 27 sqq.

nem fere interpolandi copiam et facultatem auctoritate sua tolleret. Nos autem non modo ultra Aristarchum non progredi, sed ne restituere quidem ubique posse, quae is legisset.

Iam apud veteres fuerunt qui Iliadem et Odysseam ab uno eodemque poeta esse compositas negarent. Xenonem et Hellanicum dico. Horum autem opinio Aristarchi gravissima auctoritate plane refutata et quasi oppressa est.

Praeterea multa per saecula neque veterum neque recentiorum quisquam, quin unus idemque poeta utrumque poema composuisset, dubitavit, etiamsi fuerunt nonnulli qui num poeta ipse carmina sua litteris mandasset in dubium vocarent. Recentiore demum aetate inventi sunt nonnulli viri docti, qui non solum Odysseam et Iliadem, verum etiam singulas Iliadis partes ab eodem poeta compositas et litteris consignatas esse fortiter negarent.

Sed haec sententia vel breviter tantum erat commemorata, veluti a Scaligero Casaubono Perizonio Bentleio Blackwellio, vel tam inepte prolata, veluti ab Hedelino, ut Wolfium ipsum¹⁾ eandem profiteri opinionem taederet.

Unus vir nobilis et clarus, Woodius²⁾ Britannus, quaestionem de litterarum apud Homerum usu aliquanto accuratius et ingeniosius tractavit. Sed libro eius, ut ait Wolfius,³⁾ „subtilitas fere deest, sine qua historica disputatio persuadet, non fidem facit.“

Quos paucos viros si exceperis, reliqui omnes Homeri carmina aequae ac ceterorum poetarum Graecorum et Latinorum, veluti Sophoclis Aristophanis Vergilii integra esse crediderunt.

Itaque Wolfius primus, magna disserendi elegantia adhibita, non modo quaestionem de litterarum vetustate et usu aequae Graecos, inchoatam illam quidem ab aliis sed ad exitum non adductam, quam maxime potuit illustravit ac paene absolvit, verum etiam mira quadam argumentorum copia et constantia demonstrare studuit, carmina Homerica cum seorsum et singillatim condita essent, a Pisistrato demum in ea quae nunc habemus quasi coagmentata esse volumina.

Quam de poesi Homerica et de tyranni Attici opere opinionem vir acutissimus praeter testimonia historica duobus praecipue confirmavit argumentis. Etenim primum Pisistrati demum aetate scribendi artem ita inter Graecos pervulgatam fuisse affirmat, ut libros conficere coepissent, tum Homerum tam longa carmina condere non potuisse, si lectores ei deessent.

Quae rationes quanti sint momenti iam quaerendum est.

Homeri carmina poetae ipsius aetate non esse conscripta, sed principio memoria servata, Wolfius tam firmis tamque perspicuis demonstravit argumentis, ut dubitationi locus non sit. Frustra igitur Bergk⁴⁾ et Volkmann⁵⁾ hanc opinionem infirmare student, praesertim cum ad sententiam suam probandam nullum novum afferant argumentum et iam refutata repetant. Quod si ita est, nec vero aliter existimo: proffigata iam haec et paene ad exitum adducta res est.

Sed longe alia quaestio est, num medio sexto demum saeculo poetae illius antiquissimi carmina conscripta sint.

¹⁾ p. 114.

²⁾ Versuch über das Originalgenie des Homer, aus dem Engl. Frankfurt a. M. 1773.

³⁾ p. 40.

⁴⁾ l. l. p. 211 et p. 526.

⁵⁾ l. l. p. 182 sqq.

Quae Wolfii opinio in quo nitatur non habet. Nullus enim auctor antiquus, scholiasta¹⁾ quodam in Dionysii Thracis grammaticam excepto, qui etiam alia inepta — veluti Pisistratum singulos versus obolo emisse — ea de re prodit, hunc tyrannum primum Homeri poësin litteris consignandam curavisse narrat.

At Flavius Josephus,²⁾ Homeri carmina a poeta memoria composita et postea litteris mandata esse, tradit: audio. Etenim neque a Cadmo Graecos litteraturam didicisse, neque Homerum ipsum poemata sua litteris consignasse hodie quisquam, perpaucis exceptis, contendat. Sed Josephus celeberrimo illo loco neque quando primum carmina Homerica litteris mandata sint prodit, neque a quo composita. Quin etiam ne nomen quidem Pisistrati affert. Quod certe non praetermisisset, si Pisistrati demum iussu Homeri poësin esse conscriptam novisset, quoniam fugere eum non potuit, quantopere quae de recenti apud Graecos litterarum usu eodem loco disputabat, tali argumento comprobarentur. Itaque Josephi verbis maiorem quam par est auctoritatem a Wolfio tributam esse apparet.

Post Wolfium de litteraturae apud Graecos usu Nitzschius potissimum quaesivit illiusque argumenta ita infirmavit, ut hodie omnes, qui in hac quaestione versantur, nonnullas saltem Iliadis partes a rhapsodis conscriptas fuisse concedant. Sed totam Iliadem vel Odysseam ante Pisistratum litteris consignatam esse plurimi negant, quippe cum usque ab tyranni huius aetatem rhapsodorum memoria ad omnia carmina servanda suffecisset.³⁾

Quod quidem quam infirmum sit argumentum, nemo est quin videat.

Quid enim? cui, quaeso, persuasum non est, rhapsodos ipsos vel Homeridas primos ad haec carmina potissimum conscribenda accessisse, non solum quo melius ea litteris custodirent, sed etiam ne ipsi ex memoria alios docere cogerentur.

Quo vero tempore Homeri poësis primum litteris mandata sit in dubio relinquendum esse puto.

Wolfius ipse⁴⁾ Ionum et Aeolum poetas lyricos iam ante Simonidem et Epicharmum fuisse, „qui hoc adminiculo (i. e. litteratura) carminum faciendorum carere vix possent,“ concessit. Iones igitur, apud quos iam mature variae floruerunt artes et inter quos Iliadis et Odysseae poetae fuerunt, multo prius procul dubio quam ceteri Graeci conscribendis his carminibus operam dederunt. Atque haec Wolfii⁵⁾ quoque erat sententia.

Septimo autem ante Christum nato saeculo carmina Homerica iam saepius perscripta esse, praecipue ex eo tempore, quo Psammeticho regnante, papyrus ex Aegypto in Graeciam importata erat, Graecosque scribendi artem in Homero suo potissimum exercuisse admodum veri simile videtur esse.

¹⁾ cf. Villoison Anecd. II. p. 182 not. 1.

²⁾ c. Apion. I, 2 p. 175 ed. Bekker: *καὶ φασιν οὐδὲ τοῦτον (int. Ὁμηρον) ἐν γραμμασι τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονομένην ἐκ τῶν ἁσμάτων ὕστερον συντεθῆναι καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφορίας.*

³⁾ cf. Ribbeck: Phil. v. 8 p. 467.

⁴⁾ p. 65.

⁵⁾ Prol. p. 142 „Immo si praesidium nobis in sola coniectura esset, ubi alias, quam in patria Homeri primum institutum illius elegantioris dispositionis quaeremus? Adde etiam scriptionis.“

Servata vero esse haec poemata, antequam conscriberentur in iustis Homeridarum scholis, quales in insulis Chio et Samo fuisse traduntur, perquam credibile neque ullius est momenti, quod Nutzhornius¹⁾ et Volkmannius,²⁾ Seleucum Homeridarum nomen ab obsidibus derivare non potuisse, si poesin Homericam ab iis esse tractatam ipsi notum fuisset, proferunt. Falsam enim esse hanc etymologiam res ipsa indicat neque quisquam ignorat, veteres grammaticos in nominibus enodandis saepissime lusisse.

Utrum autem tam longa carmina ut Ilias nostra et Odyssea sine litterarum usu componi possent necne, varie a viris doctis indicatum est.

Wolfius quidem fieri id posse in prolegomenis³⁾ ipsis negavit, postea in scholis⁴⁾ Halis Saxo- num habitis vel multo longiora carmina sine litteratura designari et elaborari potuisse concessit. Cui opinioni equidem vehementer assentior.

Etenim si et apud veteres fuerunt, qui totam Iliadem Odysseamque memoria tenerent, et noti sunt nonnulli poetae, qui etiam longiora carmina sine litterarum usu vel notitia conderent, quanto magis id eo tempore fieri potuit, cum ante inventas litteras memoria multo validior esset?

Silvio Pellico quidem et Maroncelli, poetae Itali, cum in carcere includerentur, multa milia versuum memoria composuerunt et polite ac subtiliter limaverunt. Quid vero dicam de Eschenbachio, poeta clarissimo, qui poema illud „Parzival“ inscriptum, quod constat ex viginti quinque fere milibus versuum, condidit etiamsi litteras nescivit?

Sed ut ad propositum revertamur, Iliadem et Odysseam et componi potuisse et unum alterumve saeculum servari, scribendi arte non adhibita, veri simillimum est.

Ut iam supra commemoravimus Wolfius fieri nullo modo potuisse contendit, ut Homerus tam longa carmina condendi consilium caperet, cum copia et facultas uno tenore ea pronuntiandi deessent.

Quod gravissimum Wolfii sententia argumentum quo modo viri litterati⁵⁾ infirmare conati sint, longum est enarrare. Qui omnes id potissimum egerunt, ut pronuntiatam esse uno tenore Homeri poesin et poetae aetate et subsequentiis saeculis tum inter principum coenam tum in publicis conventibus et certaminibus demonstrarent, vel potius contenderent. Nam demonstrari in re tam incerta haud facile quicquam posse apparet.

Equidem id tantum moneam, de moribus et institutis hic agi, quae maxima ex parte in coniectura posita sunt. Itaque vehementer timendum est, ne id nobis accadat, quod Froehlichio illi Monacensi, qui cum fieri non potuisse crederet, ut Graeci unicis diebus festis novem tragoedias, tres fabulas satiricas totidemque comoedias audirent, multo breviores illas necessario fuisse collegit peculiarique libello,⁶⁾ quam longae ipsius quidem sententia tres Sophoclis fabulae (Philoctetes, Electra Trachiniae) fuissent, demonstrare studuit.

¹⁾ p. 69. — ²⁾ p. 268. — ³⁾ p. 102.

⁴⁾ Vorlesungen über Homers Ilias ed. Usteri. Bern 1830 p. 11.

⁵⁾ cf. O. Müller: Griech. Litteratg. p. 50 sqq. et p. 108 sqq. — Nitzsch: Beiträge zur Geschichte d. ep. Poesie der Griechen p. 108 sq. 346. 397. — Sagenpoesie der Griechen p. 146. — Welcker: Ep. Cyklus I p. 348, 371, 389. — Lehrs: Jahrb. f. wissensch. Kritik 1843 p. 627. — Nutzhorn: l. l. p. 84 sqq.

⁶⁾ Sophokles' Tragödien, emendirt und erläutert. Sulzbach 1815.

Ceterum Nitzschius,¹⁾ res ad ingenia sese accommodare non ingenia ad res, recte mihi videtur statuisse.

Unum autem inter omnes fere hodie constat, utrumque Homeri poema — quaecunque antiquissimis temporibus carminum cantandorum fuit ratio — Solonis aetate in Attica quidem membratim tantum et diverso ordine esse pronuntiatum. —

Hac igitur disputationis nostrae parte satis pertractata iam ad testimonia historica, quae sunt apud veteres de Pisistrati cura Homerica quaeque supra breviter enarravimus, accuratius aliquanto percensenda et diiudicanda transeamus.

Wolfius quidem haec testimonia principio plurimi duxit iisque opinionem suam de carminum Homericorum origine haud paulo confirmari existimavit. „Historia loquitur,“ clamat,²⁾ „et vox totius antiquitatis et consentiens fama testatur: Pisistratum carmina Homeri primum consignasse litteris et in eum ordinem redegisse, quo nunc leguntur.“ Quod quo iure a summo critico dictum sit iam videndum est.

In testimoniis illis id maxime memorabile, quod antiquissimum est Ciceronis. Iam sequuntur Pausanias Aelianus Libanius, quorum primus septingentis fere, alter amplius septingentis, tertius denique nongentis annis post Pisistratum fuit. Tum quod omnes, qui a Cicerone usque ad Tzetzam huius rei mentionem faciunt, brevissime iisdemque fere verbis eam exponunt.

Paucis exemplis rem absolvam.

Cicero (de orat. III, 34) de Pisistrato his verbis loquitur: Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia litteris instructor fuisse traditur quam Pisistrati? qui primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

Pausanias. (VII, 26). (Φασί) Πεισίστρατον, ἠγία ἔπη τὰ Ὀμήρου διεσπασμένα τε καὶ ἄλλα ἀλλαγῶ μνημονευόμενα ἠθροίζετο, ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον, ἢ τῶν τινα ἐταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα (sc. Δοιοέσεως) ὑπὸ ἀγνοίας.

Aelianus. (v. h. XIII, 14). Τὰ Ὀμήρου ἔπη πρότερον διηρημένα ἦδον οἱ παλαιοί . . . ὕστερον δὲ Πεισίστρατος συναγαγὼν ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσειαν.

Vita Homeri quarta. Περὶ τῶν (sc. Ὀμηρῶν) τὰς πόλεις ἦδε τὰ ποιήματα ὕστερον δὲ Πεισίστρατος αὐτὰ συνήγαγεν.

Vita Homeri quinta. τὰ ποιήματα αὐτοῦ (int. Ὀμήρου) τὰ ἄληθῆ σποράδην πρότερον ἀδόμενα Πεισίστρατος Ἀθηναῖος συνέταξεν.

Suidas s. v. Ὀμηρος. ὕστερον συνετέθη ὑπὸ πολλῶν καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου.

Tzetzes Schol. Plant. Ceterum Pisistratus sparsam prius Homeri poesin . . . in ea quae nunc exstant rededit volumina.

Gravissimus omnium hac in re auctor procul dubio Cicero est, quoniam et primus est aetate et paulo copiosius ceteris rem enarrat. Is igitur Pisistratum primum Homeri libros sic disposuisse tradit, ut nunc habemus. Sed non est praetermittendum, Ciceronem ipsum aequae ac ceteros scriptores qui de Pisistrati cura Homerica mentionem faciunt certe numquam dubitasse, quin Homerus ipse totam Iliadem Odysseamque composisset. Itaque verba illa id significare non

¹⁾ Beiträge p. 453. — ²⁾ p. 143.

possunt quod Wolfius¹⁾ contendit. Rem enim opinor spectari oportere non verba. Tum toto capite rei augendae causa multa ab oratore illustrissimo conquisita et verbis nimis esse aucta iam Welcker²⁾ suo iure monuit et Nutzhornius³⁾ tam firmis probavit argumentis, ut addere quicquam opus non sit.

Fama crescit eundo. Quo posteriores igitur sunt scriptores, eo copiosius ea de re disserunt. Pausanias quidem Pisistrati socios breviter tantum perstringit, Tzetzes vero iam nomina eorum, a quibus in colligendis carminibus Homericis adiutus sit tyrannus, commemorat, infimae denique aetatis grammatici non solum quemadmodum collecta sint Homeri opera, sed etiam qua ratione perierint quam accuratissime memoriae produnt.

Cicero enim Josephus Pausanias alii, confusa ante Pisistratum fuisse Homeri carmina narrant, qua autem de causa id factum esset non tradiderunt. Aelianus vero et ignoti auctores quartae vitae Homeri et quintae videntur credidisse, poetae huius poemata idcirco sparsa fuisse, quod carptim tantum pronuntiarentur. Suidas autem, Homerum non uno tenore ut aiunt carmina sua composuisse, refert sed paulatim, et cum pauper fuisset, varias urbes circumeuntem singulis carminibus vitam sustinuisse. Ignoti denique scriptores scholiorum in Dionysii Thracis grammaticam, Homeri poesin vel incendio vel terrae motu vel diluvio periisse, produnt et postea Pisistratum ut famae suae consulere, versus Homericos vario modo collegisse collectosque septuaginta duobus grammaticis — inter quos Aristarchus et Zenodotus praestitissent — disponendos et ordinandos tradidisse. Omnes igitur carmina HomERICA a Pisistrato ipso aut eius iussu non collecta sed recollecta esse arbitrabantur.

Pisistratum non ipsum poesi Homericæ in unum corpus redigendae operam dedisse, sed adiutum esse a nonnullis viris doctis recte iam Wolfius⁴⁾ coniecerat. Quae coniectura, a Ritschelio scholio Plautino et a Keilio anecdotis Graecis proditis, quorum utrumque ex Tzetzae prolegomenis scholiorum in Aristophanem concinnatum esse constat, omnino comprobata est.

In scholio Plautino Tzetzes ea de re his verbis loquitur: „Usus (sc. Pisistratus) ad hoc opus divinum industria quattuor celeberrimorum et eruditissimorum hominum, videlicet Concyli, Onomacriti Atheniensis, Zopyri Heracleotae et Orphei Crotoniatae, nam carptim prius Homerus et non nisi difficillime legebatur.“ Similia legimus in anecdotis Graecis⁵⁾: „Καίτοι τεσσάρων ἀνδρῶν ἐπὶ Πεισιστράτου συνθέντων τὸν Ὅμηρον, οἷον ἐῖς οὗτοι ἐπιτόγκυλος (pro hoc verbo paulo infra (p. 118) legitur ἐπὶ Κογκύλου), Ὀνομακρίτης Ἀθηναῖος, Ζώπυρος Ἡρακλεώτης καὶ Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης.“

In utroque igitur scholio quattuor nominantur Pisistrati socii: Onomacritus Atheniensis, Orpheus Crotoniatae, de quibus iam Wolfius cogitaverat, Zopyrus Heracleotes quartusque qui Concylius vel ἐπιτόγκυλος vocatur. Quartus huius socii nomen, quod depravatum neque a Tzetza intellectum esse patet, adhuc ignotum est. Maxime probabiliter Cramer, cum in scripto Anonymi „περὶ κομφιδίας“ ab ipso primum edito,⁶⁾ in quo iidem tres Pisistrati socii nominantur, post Ὀνομακρίτην Ἀθηναίῳ legatur καὶ κατ' ἐπὶ κογκύλω in κατ' nomen proprium latere⁷⁾ et ἐπὶ κογκύλω ex ἐπιτόκων κίκλον esse depravatum coniecit.⁸⁾ Quae coniectura non — ut Sengebuschius⁹⁾ existimat — eo comprobatur

¹⁾ p. 146. — ²⁾ l. l. p. 386. — ³⁾ p. 48 sq. — ⁴⁾ p. 155. — ⁵⁾ l. l. p. 116.

⁶⁾ Anecd. Gr. I p. 6 sq.

⁷⁾ Nisi forte Rothii (Rh. Mus. N. F. VII p. 135 sqq.) et Bergkii (l. l. p. 503) opinio, tres omnino Pisistrati socios fuisse, magis tibi placet.

⁸⁾ Anecd. Gr. I p. 16. cf. Ritschl Op. Phil. I p. 166. — ⁹⁾ d. h. II p. 35.

quod Pisistratus primam Athenis bibliothecam condidisse dicitur, nam quae Athenaeus¹⁾ et Gellius²⁾ contra Strabonis³⁾ gravissimam auctoritatem narrant fide digna non sunt, sed quod in indice cycli epici a Proclo excerpto Eugammon Cyrenaeus, Pisistrati aequalis, ultimum tenet locum. — Quo auctore Tzetzes usus sit non est exploratum. Sed si Hasii coniectura, in margine codicis Parisini, quo Cramer usus est, scriptum fuisse Ἀθηνοδώρω ἐπίκλην Κορδυλίονι vera est, cum Tzetzes tum Anonymus iste ex uno eodemque fonte et quidem ex libris Athenodori Cordylionis, bibliothecae Pergameneae praefecti, quo Cato minor familiarissime usus est, hauserunt.

Tzetzae auctoritatem hac in re eo maiorem esse, quod falsam suam priorem opinionem hoc loco corrigeret, iam Ritschelius⁴⁾ iure optimo monuit. Nutzhornius⁵⁾ autem, grammaticum hunc mille septingentis fere annis post Pisistratum fuisse scriptoremque esse auctoritatis maxime dubiae contendit et exemplo allato probare studet. Procul dubio — Tzetzae saepissime nugatorem esse ineptissimum inter omnes constat Ritscheliusque concedit. Nisi igitur ex bonis hausisset fontibus eo magis hic tres Pisistrati ministros ab eo nominari, quos omnes tyranni aequales fuisse scimus, mirandum esset. Zopyrum enim inter carminum orphicorum poetas, qui Pisistrati aetate florebant, fuisse Suidas⁶⁾ narrat. Onomaeritus autem, qui vel scholio ad λ 604 hunc versum Odysseae inseruisse arguitur — sive falso sive vere, id in hac quaestione diiudicanda haud multum valet — aequae atque Orpheus⁷⁾ Crotoniates, Asclepiade Myrleano auctore, familiarissime cum Pisistrato vixit. Nutzhornii vero coniectura, Asclepiadem Myrleanum vel Suidam errore inductum, Orpheum pro alio nescio quo Pythagoreo vel Crotoniate memorare, in quo nitatur non videmus.

Sicut autem, quis Tzetzae hac in re fuerit auctor non patet, ita quo ex fonte omnes de Pisistrati cura Homericæ narrationes emanaverint, adhuc dubium controversumque est. Id tantum satis constat, omnes scriptores ex uno eodemque fonte hausisse, cum, ut supra nonnullis exemplis probavimus, iisdem fere verbis hac de re loquantur. Etenim omnes Pisistratum Homeri carmina „confusa, sparsa, διασπασμένα, διαρημένα, σποράδην ἰδόμενα collegisse, disposuisse ἄθροῖσαι, συντάξει, συναγαγεῖν, συνθέσειν“ narrant. Unus igitur cum sit fons is qualis sit quaerimus.

Welcker⁸⁾ quidem nonnullique alii omnes narrationes ex epigrammate hoc vulgatissimo:

*Τρεῖς με τυραννήσαντα τοσαύτακας ἐξεδίωξεν
 δῆμος Ἀθηναίων καὶ τρεῖς ἐπιγάγετο,
 τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὀμηρον
 ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν αἰδόμενον.*

manavisse coniciunt: id quod eo probabilius est, cum quod nonnulli scriptores, Pisistratum Homeri carmina membratim antea pronuntiata collegisse narrant, ipsis illis versibus confirmatur.⁹⁾ Quos versus nusquam fuisse insculptos, ut Bergk¹⁰⁾ putat, sed grammaticorum Alexandrinorum fere aetate non admodum apte contextos esse inter omnes constat. Quae cum ita sint, quo auctore usus sit epigrammatis scriptor aut in qua re nitatur quaerendum est.

¹⁾ I c. 4. — ²⁾ n. a. VII, 17. —

³⁾ a quo (p. 608 Cas.) eadem res Aristoteli tribuitur his verbis: πρώτος ὃν ἔσμεν συναγαγὼν βιβλία.

⁴⁾ a. b. p. 40. — ⁵⁾ p. 23 sq. — ⁶⁾ s. v. Ὀρφεύς.

⁷⁾ ibidem. — ⁸⁾ I. I. p. 361, 386. — ⁹⁾ cf. vit. Hom. IV. et V. ed. Westermann.

¹⁰⁾ p. 507.

Lehrsius¹⁾ quidem, Pisistrati famam inde exstitisse contendit, quod libros colligendi cupidus fuisset. At Athenaei et Gellii narrationem perquam incertam esse iam supra monuimus.

Nutzhornius²⁾ Pisistratum lege sanxisse opinatur, ut carmina HomERICA ἑφεξῆς, vel συνεπιγεμένως, ἡθροισμένως recitarentur eaque re scriptorem nescio quem esse commotum, ut Pisistratum

τὸν Ὅμηρον

ἡθροισα σκοπείδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον

loquentem faceret. Nutzhornio assentitur Volkmannius³⁾ cui, Atheniensium tyrannum idcirco a nonnullis legis illius auctorem habitum esse, persuasum est, quod Panathenaea magna quibus Homeri solius carmina pronuntiabantur ab eo esse instituta traditum esset. Sane, quo iure Ausonius:⁴⁾

„Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri

quique notas spuriiis versibus apposuit.“

de Zenodoto aut de Aristarcho⁵⁾ canit, eodem, si Pisistratus legem istam tulisset, poeta aliquis dicere potuit, a tyranno Homerum carptim antea recitatum collectum esse. Sed cum lex illa — qua de re infra accuratius disputabimus — a Diogene Laertio Soloni et ab aliis Hipparcho tribuatur, non patet, cur eam ad Pisistratum transferamus.

Duentzer⁶⁾ denique omnia, quae de Pisistrati opere traduntur, ex Dicaearchi libris deperditis „Βίος Ἑλλάδος“ inscriptis manuisse affirmat. Nam quae de septem sapientibus narrat Cicero⁷⁾ his verbis: „septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur: hi omnes praeter Milesium Thalem civitatibus suis praefuerant“ ex illo Dicaearchi libro hausta esse ideo suspicatur Duentzer, quod Diogenes Laertius⁸⁾ inter alia de septem sapientibus iudicia hoc quoque profert: ὁ δὲ Δικαίμαχος οὕτε σοφούς, οὕτε φιλοσόφους φησὶν αὐτοὺς γεγονέναι, συνετοὺς δὲ τινας καὶ νομοθετικούς. Iam quantum inter Ciceronis et Dicaearchi opinionem intersit ipse vides. Nihilo setius Duentzer, cum Dicaearchum a Cicerone maximi aestimatum esse constet, etiam quae de Pisistrato eodem capite prodit Cicero quaeque Josephus Diogenes Aelianus eeterique omnes de carminibus Homericis colligendis proferunt, ex illo Dicaearchi libro esse repetita contendit. Quod quidem quin ita esse possit nemo dubitabit, non tam ea de causa, quod illud Dicaearchi opus praestantissimum et notissimum fuerit litterarum Graecarum fons — id quod ex Hieronymi⁹⁾ verbis quidem quae Duentzer affert non consequitur — quam potius quod tertio illius operis libro Dicaearchus de sacris diebusque festis veluti de Panathenaeis disseruit. Attamen quam infirmis tota haec coniectura fulciatur argumentis perspicuum est neque ex Ciceronis verbis ullo modo colligi potest, quae prodiderit Dicaearchus, praesertim cum orator, ut supra dictum est, omnia in maius extulerit.

Quo igitur ex fonte omnes illi scriptores hauserint, nos ignorare confitendum est vehementerque dubito, num futurum sit ut omnino unquam certi quicquam hac de re inveniatur, etiamsi diligentius inquiretur, quibus scriptis Cicero in libris suis de Oratore conscribendis usus sit.

¹⁾ Rh. Mus. XVII p. 503. — ²⁾ p. 63. — ³⁾ p. 356 et 358. — ⁴⁾ Epist. XVIII v. 28 sq.

⁵⁾ ad alterutrum enim, non ad Pisistratum, ut Nutzhornius (p. 19, 39, 63) ducit, prior quoque versus sine dubio referendus est, cum inter Scaurum Asprum Varronem Cratetem Pisistrato certe locus esse non possit.

⁶⁾ J. Jahrb. v. 91. p. 739 sq. — ⁷⁾ de or. III, 34. — ⁸⁾ I, 40. — ⁹⁾ „libri antiquitatum et descriptionum Graeciae.“

(Altera pars propediem sequetur.)

Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Weierstraß.

Deutsch. Uebersicht der neueren National-Litteratur mit Proben aus Bone. Lectüre: Goethe's Iphigenie auf Tauris, Klopstock's ausgewählte Oden und Shakespeare's Coriolan. Außerdem Lessing's hamburgische Dramaturgie (ausgewählte Abschnitte). Leitung der Privatlectüre. Grundlehren der Psychologie. Dispositions-Uebungen. Freie Vorträge. Monatliche Aufsätze. Klassenarbeiten. 3 St. Herr Gymnasial-Lehrer Kowalek.

Latein. Cic. pro Milone de Oratore lib. II. Repetitionen aus der Grammatik. 14-tägige Exercitien nach Süpfle, 14-tägige Probearbeiten, monatliche Aufsätze, Uebungen im Lateinsprechen. Leitung der Privatlectüre. Freie Vorträge nebst Disputationen und Extemporiren aus Cic., Liv., Sallust und Tacitus. 6 St. Der Ordinarius. Horat. carm. lib. III. und IV., Carm. saecul. Ausgewählte Satiren und Episteln und de art. poet. Wiederholung von lib. I. und II. der Oden nebst metrischen Uebungen. 2 St. Der Director.

Griechisch. Plat. Criton und Apolog. Thucyd. lib. VI. und ausgewählte Stellen aus lib. I. und II. Erklärung und Uebersetzung zum Theil lateinisch. Grammatische Repetitionen nach Buttman. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Extemporalien und Klassenarbeiten. 4 St. Der Director. Hom. Iliad. lib. XVI. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. Privatlectüre Ilias lib. XIII. XV. XVII. XXIV. Extemporiren ungelesener Stellen. Nach Oestern Sophocles Oedipus Rex. 2 St. Der Ordinarius.

Französisch. Dumas: histoire de Napoléon und Corneille: Cinna. 14-tägige Exercitien und Extemporalien. Monatliche Klassenarbeiten. Repetition der Grammatik nach Knebel. Sprechübungen. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Dr. Bludau.

Hebräisch. Wiederholung der Formenlehre nach Bojen, die unregelmäßigen Verba und die wichtigsten Regeln aus der Syntax. Uebersetzt und erklärt wurden mehrere Psalmen und einige Kapitel aus Jesaias. Schriftliche Uebungen. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für die katholischen Schüler. Nach Martin und Dubelman aus der Glaubenslehre: Die Lehre von den Sacramenten. Aus der Sittenlehre der allgemeine Theil. Wieder-

holung der ganzen Religionslehre. Aus der Kirchengeschichte das 3. Zeitalter. Gelesen wurde das Evangelium des h. Johannes im Grundtexte. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Lasowski. b) Für die evangelischen Schüler. Lehre von dem h. Geiste. Epheser-Brief nach dem Grundtext. Die Kirchengeschichte der alten Zeit. Wiederholung aus der Bibelfunde des N. T. 2 St. Herr Religionslehrer Brachvogel.

Geschichte. Nach Büß Geschichte der neueren Zeit. Repetitionen aus der Geschichte des Alterthums, des Mittelalters und der brandenb.-preussischen Geschichte. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Löns.

Geographie. Die Länder Europa's, namentlich Preußen und Deutschland. Wiederholungen aus dem gesammten Gebiete der Geographie. Uebungen im Entwerfen von Skizzen. 1 St. Derselbe.

Mathematik. Wiederholung und Erweiterung der Geometrie und Trigonometrie. Binomischer Lehrsatz. Theorie der Gleichungen mit specieller Berücksichtigung der reciproken, symmetrischen, cubischen und diophantischen Gleichungen. Monatliche schriftliche Arbeiten. 4 St. Herr Oberlehrer Rautenberg.

Physik. Optik und Acustik. Wiederholungen aus der gesammten Physik, verbunden mit mathematisch-physikalischen Aufgaben. 2 St. Derselbe.

Secunda.

Ordinarius: Herr Gymnasiallehrer Kowalek.

Deutsch. IIA. Das Hauptfächlichste über die Dichtungsarten. Aufsatzelehre und Dispositions-Übungen. Lectüre: Schiller's Wallenstein, Biographie Schiller's, Uebersicht über die Literaturgeschichte der klassischen Periode. Declamationen. Monatliche Aufsätze nebst kleinen metrischen Versuchen. 2 St. Herr Oberlehrer Weierstraß. IIB. Aufsatzelehre, Uebungen im Disponiren. Aus der Rhetorik das Hauptfächlichste über die Figuren und Stilarten. Lectüre: Balladen von Schiller, Uhland, Rückert, Goethe. Die Glocke von Schiller. Declamationen. Correctur der monatlichen Aufsätze. 2 St. Der Ordinarius.

Latein. Liv. lib. II. Cicero de imp. Cn. Pomp., de senectute, Sallust de bello Jugurth. Erklärung zum Theil lateinisch. Privatim: Caes. de bell. civ. II. und Cic. pro Archia poeta. Wöchentlich Extemporiren ungelesener Stellen aus Cicero und Sallust. Grammatik nach Zumpt: Die Conjunctionen und das Hauptfächlichste aus der Syntax des Nomens und Verbums. Mündliches Uebersetzen aus Säpfele. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Schriftliche und mündliche Extemporalien, monatliche Klassenarbeiten und in IIA. nach Ostern einige kleine Aufsätze. 8 St. Der Ordinarius. IIA. Virgil. Aen. lib. V., VII., IX. Georgica IV. Extemporiren. Metrische Uebungen. 2 St. Herr Oberlehrer Weierstraß. IIB. Virgil. Aen. lib. III. und IV., ausgewählte Eklogen. Memoriren und metrische Uebungen. 2 St. Der Ordinarius.

Griechisch. Xenoph. Hell. lib. I. und II. (nicht ganz) Herod. lib. VII. Privatlectüre aus Xenoph. Anabasis. Grammatik nach Buttmann: Syntaxis Nominis, das Wichtigste über Modi, Repetitionen aus der Formenlehre. Extemporalien und Correctur der 14-tägigen Exercitien. Monatliche Klassenarbeiten. 4 St. Der Ordinarius. IIA. Hom. Odyss. lib. XIII.—XIX.; privatim: XX.—XXIV. Wiederholung der verba anomala; homerische Metrik. Ausgewählte Stellen wurden memorirt. 2 St. Der Director. IIB. Odyss. lib. V., VI., VII., IX.; privatim: lib. III. IV. Aus lib. XI. und XII. wurde extemporirt. Die Formenlehre des jonischen Dialects. Einiges wurde memorirt. 2 St. Der Ordinarius.

Französisch. Charles XII. par Voltaire lib. III. und IV. und Napoléon en Egypte par Thiers. 14-tägige Exercitien und Klassenarbeiten. Grammatik nach Kuebel: die Wortbildung und das

Wichtigste aus der Syntax des Verbums. Repetition der Formenlehre. Uebungen aus Höchsten. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Zielinski.

Hebräisch. Nach Vosen die Elementar- und Formenlehre. Schriftliche Uebungen. Gelesen und analysirt wurden einige Capitel der Genesis. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für die katholischen Schüler. Nach Martin und Dubelman aus der Glaubenslehre die Lehre von der Erbsünde, von der Erlösung und von der Gnade in Verbindung mit der Lectüre des Conc. Trid. sess. V. und VI. Aus der Kirchengeschichte das 2. Zeitalter. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski. b) Für die evangelischen Schüler. Evang. Lucae nach dem Grundtext. Lectüre aus den prophetischen und poetischen Büchern des A. T. Bibelfunde des A. T. 2 St. Herr Religionslehrer Brachvogel.

Geschichte. Nach Büß Geschichte der orientalischen Völker, der Griechen und Macedonier. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Geschichte. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Löns.

Geographie. Nach Büß vergleichende Geographie der außereuropäischen Erdtheile unter besonderer Hervorhebung der natürlichen Verhältnisse. Uebungen im Kartenzeichnen. 1 St. Derselbe.

